

Quarta, quando Saturnus fuerit dominus coniunctionis, uel Mars dominus oppositionis, id est, ut coniunctio & oppositio fiant in eorū domibus, maxime ipsis existentibus in Sagittario uel piscibus, quoniam si prædicta quatuor loca in alicuius natiuitate ita fuerint, erit talis natus naturaliter daemonicus, & à nullo potest curari. Si autem contingeret, quòd duæ causæ, uel una sic inuentæ fuerint in natiuitate, erit daemonicus per dies, menses, uel annos, talis etenim poterit redire ad saniorē mentem.

Notandum, Si utræq; infortunæ Saturnus scilicet & Mars fuerint in hac qualitate, erunt animæ infirmitates immedicabiles, non tamen feroces, & ignorabuntur, & occultæ erunt. Si autem utræq; fortunæ Iupiter & Venus, similes eis extiterint, & ut ræq; infortunæ Saturnus & Mars in angulo occidentis, fortunæ uero in angulo orientis manserint, licet ferocissimas, sanabiles tamen significant ægrotudines. At si Iupiter fuerit ille, qui eis assimilabitur, infirmitates medicaminibus moderabuntur, siue per dietas, siue per antidota. Si in orientali angulo infortunæ, & in occidentali fortunæ fuerint, insanabiles ac feroces erunt infirmitates, minime manifestæ.

Locus Solis & Martis, iuuant ad insaniam.

Locus Iouis & Mercurij, infirmitates epilepsiæ.

Locus Veneris per prophetias, ut occulta dicantur.

Locus Saturni & Lunæ adiuuabit daemonicos, & humorum impedimenta.

Animæ appetitiuæ impedimenta ita colliges.

Si fuerint luminaria sola in signis masculinis, in genitura masculi, ea quæ sibi naturalia sunt operabuntur. In mulieris uero genitura sic, erunt uiriles, & ea quæ contra naturam sunt operabuntur, ut fricando se cum alia.

Si fuerint Mars & Venus, uel eorum alter masculinus, uiri in naturalibus rebus Venereis multum conuersabuntur, & ex rebus coitus turpia contra legem desiderabunt. In mulieris genitura sic positi actus cupidinis innaturales, plus æquo perpetrabunt inuicem cum alijs mulieribus.

Si Venus sola masculina fuerit, id quod perpetrabunt, erit occultum. Si autem solus Mars masculinus extiterit, erit manifestum.

Luminaria sola in foemininis signis in genitura masculi, ea quæ sibi contra naturam sunt committent cum mollicie, lasciuia, & mulierositate. Sed mulieres, ea quæ sibi naturalia sunt, operabuntur.

Sola Venus foeminina in mulieris genitura illegitimos actus uenereos exercebit, adeo quòd nulli coitum denegabit. Sed uiri sic positam sortiti Venerē, erunt effoeminati, molles, & ad innaturales actus uenereos procliuiores, sed ea occulte perpetrabunt.

Mars solus foemininus, hæc publicari significat, & ea perfici absq; uerecundia.

Veneris & Martis orientalitas in genituris masculinis, adiuuant detectionem operis ueneri, Sed eorum occidentalitas iuuat seminis occultationem. Saturnus si cum eis fuerit, iuuabit in pollutione turpi, plus alijs. Iupiter autem cum eis, dat uerecundiam. Mercurius cum eis, detegit rem & in augmento adiuuat.

Hæc Ptolemæus.

### Sententiæ & aphorismi aliorum.

R

Luna